









1656

1. von der Ley, Conradus : De magistratu politico
2. Philippus, Johannes : De jure Tutelarum
3. Romanus, Franciscus : De consuetudine
4. Schacher, Anirinus : De citatione
5. Thomarius, Jacobus : De societate nuptiali
6. Volckmarus, Henricus : De dote
7. Volckmarus, Henricus : De amphoide-venditione
8. Volckmarus, Henricus : De judiciis mortuorum
9. Wagnerus, Paulus : De usufructu
10. Zapffius, Gottfriedus : De potestate patria
11. Zapffius, Gottfriedus : De lege pontina

1657-

1. Gerdold, Amadens : De accrescendi jure
2. Thomarius, Jacobus : De jure primogeniti

1658

1. Born, Johannes : De bona fide

1658

2. Rindler-Schjerve, Christian Fridericus: De legato
3. Romann, Rudolphus: De emancipatione liberorum
4. Schwenden dörffer, Bartholomaeus Leonhardus: De interditiis
in genere
5. Schwenden dörffer, Bartholomaeus Leonhardus: De
auctoritate tutoris.
6. Wagnerus, Paulus: De crimine laesae majestatis

1659.

1. Bornius, Johannes: De monetis et re numaria
2. Scholl, Amatus: De re vindicatione
3. Finckelhaus, Siegmund: De testamento judiciali
4. Philippi, Johannes: Conclusiones juridicae ea
societatis materia desumptae
5. Schwendendörffer, Bartholomaeus Leonhardus:
De commodato

un

lio

...

...

...

...



10
2
3
4
5
6

Handwritten entries in a list, including names like "Bismarck", "Friedrich", "Bartholomäus", and "Hoffmann", followed by titles or subjects such as "De emancipatione liberorum", "De iudiciali potestate", and "De testamentis iudicialibus".



8055.

1656, 7

55.

DEO FAVENTE,
 CONSENSU ATQ; PERMISSU MAGNIFICI DN. ORDINARII
 ET AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ
 IN INCLYTA LIPSIENSIVM ACADEMIA
 DISPUTATIONEM JURIDICAM
 D E
EMPTIONE-VEN-
DITIONE,

P R Æ S I D E
 VIRO AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO ET
 EXCELLENTISSIMO,
 DN.
HEINRICO VOLCKMARO,
 J. U. D.

FACULTATIS JURIDICÆ ASSESSORE DIGNISSIMO,
 PROFESSORE PUBLICO CELEBERRIMO,
 PATRONO ET PRÆCEPTORE SUO QUOVIS HONORIS
 CULTU ATERNUM PROSEQUENDO,

PUBLICÆ VENTILATIONI SUBJICIT
JOHANNES-Gottlieb CUNRADUS,
 Sorâ-Lufatus, A. & R.
 AD DIEM 13 NOVEMBR. ANNI M DC LVI.
 IN AUDITORIO JURISCONSULTORUM.

L I P S I Æ
 TYPIS JOHANNIS WITTIGAUENS.

H. D. Simbolla



Magnifico, Nobilissimo, & maximè Strenuo

VIRO

DN. CAROLO - CHRISTOPHORO

à Kottenburg / in Niesmenaw / Illustris & Generosissimi DN. DN. ERDMANNI, Sacri Rom. Imperii COMITIS à PROMNITZ, in Baronatu Soraviensi, Tribellensi & Neoburgensi Capitaneo & Consiliario spectatissimo,

Nec non

VIRIS

Amplissimis, Consultissimis, Usuq; rerum & experientia Præstantissimis,

DN. JOHANNI Kåbnen / JURISCONSULTO
eximio ac Consuli Reipublicæ Gubenensis meritissimo,

Et

DN. JOHANNI PREIBISIO, NOTARIO
Publico Cæsareo, Juris Practico solertissimo, Consuliq; Soraviensium dignissimo,

Illi, Domino Patrono summè suspiciendo;

Isti, Domino Cognato singulariter honorando;

Huic, Domino Præceptori olim domestico,
optimè merito,

*In debita observantia, amoris & gratæ
mentis τρυφῆς, ac sui & studio-
rum suorum commendationem
offert & dedicat*

JOHANNES - Gottlieb CUNRADUS,
Author & Respondens.

In Nomine Domini Nostri

JESU CHRISTI.

THESIS I.



Er suafum habeo, me non malè fecisse con-
scribendo, pro ingenii tamen mei tenuitate,
hanc de Emptione & Venditione disputatio-
nem, utpote cujus usus non solum frequen-
tissimus & humanæ societati perquam neces-
sarius, sed & longè patentissimus est. Qua-
propter Lex XII. tabularum Emptionis ver-
bo omnem alienationem complecti videba-

tur, *l. statu liberi 29. §. 1. ff. de statu, liber.* Et Venditionis appellationem ita generaliter accipiendam esse asseritur in *l. sicut re. §. §. venditionis 11. ff. quib. mod. pign. vel hypoth.* vid. quoque *l. sed §. 9. §. 1. ff. de pign. & hypoth.* & *l. si usum-fructum. 23. §. 1. ff. de liber. causa.* Nam olim etiam familiæ mutatio vel emancipatio per imaginariam venditionem celebrabatur. *§. praterea. 6. l. quib. mod. jus patr. potest. solv. §. sed ut. 1. l. de rest. ordin.*

2. Praterea Emptionis verbum metonymicè pro instrumento emptionis sumitur in *l. cum constet. 2. C. quæ res pign. oblig.*

3. Nos verò posthabitâ & latâ illâ & hâc tropicâ acceptione per Emptionem & Venditionem intelligimus certam contractûs speciem, prout in *tit. de Emptione & Venditione Inst.* & passim in *Pand. & Cod.* sumitur.

4. Et quamvis Emptionis & Venditionis appellationibus veteres promiscuè usi fuerint, *l. veteres. 19. ff. de act. empt. & vend. arg. l. qui fundum. 7. §. qui bona. 4. ff. pro empt. & l. si in 34. in pr. ff. de contr. empt.* ubi Paulus, quod sub initio vocavit emptionem fundi, deinde paulò post nominat venditionem ejus. in qua *l.* etiam venditor pro emptore ponitur, quod & fit in *l. si iudex. 41. ff. de min. 25. ann.* Quemadmodum ipsa quoque actionum empti & venditi nomina nonnunquam confunduntur, ut in *l. Julianus. 13. §. si procurator. 25. in fin. ff. de act. empt. l. sed hoc. 26. ff. de evictio. l. ex convention. 11. C. de pact.*

5. Quia tamen aliud est vendere, aliud emere, alius emptor, alius

venditor, *l. origo emendi. 1. §. 1. ff. de contrab. empt. l. sicut aliud 1. in pr. ff. de rer. perm. §. sed et. 1. l. de empt. & vend.* in presenti etiam disputatione hoc observandum erit.

6. Definitur autem Emptio - Venditio, quod sit contractus consensu inius de re certo pretio habenda.

7. Cujus definitionis genus est contractus; quem esse probatur per verbum, *contrahitur & contracta*, in *pr. ac verb. stare contractus*, in *§. sed et 1. l. de empt. & vend.* ac in *ll. quamplurimis*.

8. Et quidem est contractus: I. Verus ac proprius, cum inter eosdem ab Imperatore recenseatur in *§. sequens. 2. l. de obligat. mutuamq; obligationem producat*, in *pr. vers. unde in his. l. de auct. tut. l. Labeo. 19. vers. contractum. ff. de verb. sign.*

9. II. Juris gentium. *§. sed et. 2. l. de l. N. G. & C. l. origo emendi. 1. §. fin. ff. de contr. empt. l. ex hoc §. ff. de l. & l.* Jus itaque gentium contractus hujus causam efficientem remotam representat. Hinc deportatus, qui speciali quidem jure civitatis non fruitur, jure tamen gentium utitur, emere & vendere potest, *l. deportatus. 15. ff. de inter d. & releg.*

10. III. Nominatus, quia in generali conventionis nomine non stat, sed transit in proprium nomen contractus; *l. hujus edicti. 1. §. fin. l. juris gentium. 7. §. qua pariunt. 1. ff. de pact. l. sicut aliud 1. §. 2. ff. de rer. permus.*

11. IV. Bonæ fidei, in hoc enim contractu alter alteri obligatur in id, quod alterum alteri ex bono & æquo præstare oportet, *§. nem in his. 3. l. de obl. ex cons. l. consensu sunt. 2. §. fin. ff. de obl. & act.* imò expressè contractus bonæ fidei appellatur in *l. Titius. 48. in fin. ff. de act. empt.* actionemque bonæ fidei parit, *§. actionum autem. 28. l. de action.*

12. Differentia specifica absolvitur his verbis: consensu inius de re certo pretio habenda. In quibus continentur tria ista, ut à Dd. nominantur, substantialia hujus contractus requisita: Consensus nempe, quem in emptionibus & venditionibus debere intercedere palam est, *l. in venditionibus. 9. in pr. ff. de contr. empt.* Merx, cum nec emptio nec venditio sine re, quæ veneat, possit intelligi, *l. nec emptio. 8. in pr. ff. eod.* Et denique Pretium, quoniam emptionis substantia consistit ex pretio, *l. pacta conventa 72. in pr. vers. an idem. ff. eod.* nam, nulla emptio sine pretio esse potest, in *fin. princ. l. de empt. & vend.* & nulla venditio sine eo est, *l. inter patrem. 2. §. 1. ff. de contr. empt.* vid. etiam *l. iuda 55. ff. eod.*

13. Dici-

13. Dicitur hic contractus consensu initus vel consensualis, non eo respectu, ac si reliqui contractus absque consensu fierent; Cum nullus sit contractus, nulla obligatio, quæ non habeat in se conventionem, sive re, sive verbis fiat; nam & stipulatio, quæ verbis fit, nisi habeat consensum, nulla est, *l. hujus edicti. 1. §. conventionis. 3. ff. de pact.* In omnibus enim rebus, quæ dominium transferunt, concurrat oportet affectus ex utraque parte contrahentium: nam, quæcunque causa contrahendi sit, nisi animus utriusque consentit, perducere ad effectum, in quod inchoatur, non potest, *l. in omnibus. 55. ff. de oblig. & act.* sed quod huic per eminentiam quandam accommodetur; quia in Emptionibus-Venditionibus neque scripturâ neque præsentia omnimodo, id est, ex suâ naturâ opus est, at nec dari quicquam necesse est, ut substantiam capiat obligatio, sed sufficit eos, qui negotia gerunt, consentire, *§. ideo autem. 1. l. de oblig. ex conf.*

14. Priusquam verò de consensu contrahentium, qui causam efficientem propinquam exhibet, videamus, consultum ducimus, aliquid de ipsis contrahentibus præmittere & quinam Emptionem-Venditionem inire admittantur, qui contra ab eadem repellantur, considerare.

15. Possunt autem contractum Emptionis-Venditionis omnes celebrare, arg. *l. mutus & surdus. 43. §. 1. ff. de procur. & defens.* nisi qui naturâ vel lege prohibentur.

16. Naturali contrahendi facultate destituuntur: I. Furiosus, quia manifestum est ejus nullum esse consensum *l. emptionem. 2. C. de contr. empt.* nullam voluntatem, *l. furiosi. 40. ff. de reg. jur.* nec intelligere, quod agit, *§. furiosus. 8. l. de inutil. stip.* Intermissionis autem tempore hunc contractum potest facere, *d. l. 2.* quia per intervalla, quæ perfectissima sunt, omnia alia peragere valet, quæ sanis hominibus competunt, *l. cum aliis. 6. C. de curat. fur. & prod.*

17. II. Infans (id est, minor septem annis, *l. si infanti. 18. C. de jur. deliber.*) & qui infantia proximus est, cum non multum à furioso distent, *§. sed quod. 10. l. de inutil. stip.* neque enim scire, neque decernere talis ætas potest, non magis, quam furiosus, *l. pupillus. 9. ff. de acquir. vel omitt. hered.* Sed in proximo infantia, propter utilitatem ejus, benignior juris interpretatio facta est: ut idem juris habeat, quod pubertati proximus, *d. §. 10.* hoc enim favorabiliter ei præstat, *d. l. 9.* ideoque omnia tutore auctore agere, *l. in negotiis. 5. ff. de reg. jur. & sti-*

pulari & promittere rectè potest, *l. obligationes. 1. §. huic 13. ff. de oblig. & act.* & sic per consequens etiam emere ac vendere.

18. Lege prohibetur: I. Impubes seu pupillus, (intellige puperbati proximum, & jam habentem aliquem intellectum, *§. sed quod. 10. l. de inut. stip.*) qui obligari, sc. civiliter, ex omni contractu sine tutoris auctoritate non potest, *l. obligari 9. pr. ff. de auct. & conf. tut. l. contra. 28. pr. ff. de pact.* Undè in causis, ex quibus obligationes mutux nascuntur, ut in Emptionibus quoque & Venditionibus, si tutoris auctoritas non interveniat, ipsi quidem, qui cum hoc contrahunt, obligantur, at invicem pupillus non obligatur, in *pr. l. de auct. tut.* hoc enim in casu ex uno latere saltem constat contractus, *l. Julianus. 13. §. si quis. 29. ff. de act. empt.* Aliud verò obtinet, si locupletior exindè fiat, tunc enim eatenus obligatur, *l. pupillus 5. §. 1. ff. de auct. & conf. tut.* non solum naturaliter, sed & civiliter, per *l. sed mihi. 3. pr. ff. commod.* quia meliorem conditionem suam facere ei etiam sine tutoris auctoritate concessum est, *d. l. 28. pr. ff. de pact.* deteriore verò non aliter, quàm cum eadem, *pr. l. de auct. tut.*

19. II. Removetur Minor quinque & viginti annis, curatorem habens; per *l. si curatorem 3. C. de in integr. restit.* Aliud autem dicendum erit, si sine curatore constitutus contractum hunc fecerit, ubi quidem obligatur, sed implorare in integrum restitutionem, si necdum præfinita tempora excesserit, causâ cognitâ non prohibetur, *d. l. 3. C. de in integr. rest.* Nimirum propter fragile & infirmum consilium, *l. hoc edictum. 1. pr. ff. de minor. 25. ann.*

20. III. Prodigus, si enim sciens emam ab eo, cui bonis interdictum est, dominus non ero, *l. si sciens. 26. ff. de contr. empt.* quia tradere non potest vel promittendo obligari, *l. is cui 6. ff. de verb. oblig.* nihilque transferre ad aliquem; nam in bonis non habet, cum ei diminutio sit interdicta, *l. Julianus. 10. pr. ff. de cur. fur.* & ejus nulla est voluntas. *l. furiosus. 40. ff. de reg. jur.* furiosumque, quod ad bona ipsius pertinet, facit exitum, *l. his qui. 12. §. 2. ff. de tut. & cur. dat.* Secus est, si commodum exindè sentiat, & locupletior evadat, cum non solum non absimilis hic & minor habeantur, *l. si curatorem. 3. C. de in integr. restit.* ac propterea etiam eum hæredem institutum posse adire hæreditatem, constet, *l. mutum. 5. §. 1. ff. de acquir. vel mitt. hered.* sed & pupillo comparandus sit: quoniam & stipulando sibi acquirit, *l. certi.*

l. ceteri. 9. §. sed & 7. ff. de reb. cred. l. is cui. 6. ff. de verb. oblig. vid. quoque Nov. Leon. 39. Verùm, quod acerrimæ est controversiæ, non à jure, sed Prætore, (& sic hodiè à Magistratu) curatore dato, bonis prodigo interdicitur, l. si curatorem 3. C. de in int. rest. l. lege 1. pr. & d. l. Julianus. 10. pr. ff. de curat. furiosè.

21. IV. Magistratus, provinciam namque moderanti, non solum donationes, sed etiam emptiones quarumcunque mobilium vel immobilium rerum (præter eas, quæ ad alimoniam vel vestes pertinent) penitus interdictæ, *l. un. §. 2. C. de contr. jud.* si tamen paterna ejus prædia à fisco distrahantur, eadem comparare potest, *l. qui officii. 62. pr. ff. de contr. empt.* Hæc autem etiam ad domesticos & consiliarios, *d. l. unie. §. 3.* quivè circa eum sunt, *l. principalibus 33. ff. d. reb. cred.* trahenda sunt. Magistratum verò intelligimus non perpetuum, sed temporalem, arg. *l. presidis. 34. ff. de reb. cred.* cum poena quædam sit, si negotiatione quis penitus nempe abstinere jubeatur, *l. moris est. 9. §. sunt autem. 9. ff. de pœnis.*

22. V. Miles, qui prohibetur prædia comparare in ea provincia, in qua militat, *l. milites. 9. pr. ff. de re milit.* scilicet, nè culturæ studio à militia avocetur, *l. miles. 13. pr. ff. eod.* Interim tamen domum emere potest, *d. l. 13. pr.* ut & prædia paterna, si illa fisco distrahat, *d. l. 9. in pr.* ac demum etiam ea, quæ ad victum & amictum necessaria sunt, arg. *l. un. §. 2. C. de contr. jud.*

23. VI. Pater cum filio, *l. inter. 2. pr. ff. de contr. empt. l. si venditor. 14. §. sed & 3. ff. de in diem add.* quia vox patris tanquam filii est, & vox filii tanquam patris, *§. si quis. 4. l. de inut. stip.* cum pater & filius eadem esse persona penè intelligantur. *l. fin. C. de impuber. & al. subst.* hinc quoque lis nulla esse potest cum eo, quem in potestate habemus, nisi ex castrensi peculio, *l. lis nulla. 4. ff. de judic. & ubi quis q. de cujus rebus etiam, d. l. inter. 2.* ut & quasi castrensibus, *l. cum oportet. 6. §. cum autem. 3. C. de bon. qua liber.* ac demum iis quoque peculii adventitii, quæ sub hac definitione atque conditione, ut pater neque usumfructum, neque quodlibet penitus habeat participium, donantur, aut etiam per ultimam voluntatem relinquuntur, *Nov. 117. cap. 1. & Auth. excipitur. C. de bon. qua lib.* emptio-venditio inter eos contrahi potest.

24. VII. Servus; ipse enim, qui in potestate alterius est, nihil suum
habere

habere potest, §. *item vobis. 2. l. per quas pers.* Quapropter ex contractibus, *l. obligari. 43. ff. de obl. & act.* non solum domino suo obligari non potest, sed nè quidem ulli alii, §. *item inutilis. 6. l. de inur. stip.* nisi ex domini persona, arg. *prin. l. d. tit. & respectu peculii liberae administrationis, quæ specialiter concedenda est, l. quam. 7. §. 1. ff. de pecul.*

25. VIII. Tutor cum pupillo; Is namque, nè sub administratione tutelæ pupillique utilitate latenter sua commoda juvaret, *l. non existimo. 54. ff. d. adm. & per. tut.* ejus rem emere non potest, *l. si in. 34. §. fin. ff. de cont. empt.* Idemque porrigendum est ad similia, id est, ad curatores, procuratores & qui aliena negotia gerunt, d. *l. quia, non licet ex officio, quod administrat quis, emere quid vel per se, vel per aliam personam, alioquin, non tantum rem amittit, sed & in quadruplum convenitur, l. non licet. 46. ff. de contr. empt.* Interveniente verò contutoris autoritate, quæ sufficit, *l. pupillus. 5. §. item ipse. 2. ff. de auct. & consens. tut.* nihil ex bonis pupilli, quæ distrahi possunt, comparare palam & bonâ fide prohibetur, *l. cum ipse §. C. de contr. empt. facit & huc l. non existimo 54. ff. de adm. & peric. tut.* Notandum etiâ, tutorem, cui administratio decreta non est, tanquam extraneum, rectè à pupillo emere, *l. tutores. 6. ff. de auct. & cons. tut.*

26. IX. Advocatus, qui nullum cum eo litigatore contractum, quem in propriam recepit fidem, ineat, nullam pactionem conferat, *l. quisquis 6 §. preterea. 2. C. de postul.* Cùm cliens advocato suo, utpote à quo vel prosperum vel adversum causæ exitum expectat, nihil facile denegare præsumatur.

27. X. Medicus cum agroto, gravioris morbi tempore, per *l. si medicus. 3. ff. de extr. ord. cogn.* quia non ea, quæ periclitantes pro salute promittunt, accipere potest, *l. archiatri. 9. C. de prof. & med.* ob eandem rationem, quæ modo de cliente & advocato allata est, justum nempe metum, cùm agrotus, & vitam & mortem in manu Medici esse, persuasum habeat, & sic omnia quæcunque postulat, eidem facile promittat.

28. Sic de personis, quæ emere & vendere nequeunt. Accedimus nunc ad pertractationem consensus eorum, quibus hunc contractum celebrare licitum est.

29. Consensus sit: I. Liber; sicut enim initio libera potestas unicuique est habendi vel non habendi contractus, *l. sicut. 5. C. de obl. & act. ita*

est. ita etiam unusquisque suo arbitratu quærere & probare potest emptorem, *l. dudum. 14. C. de contr. empt.* nec emere quisquam compellitur, *l. nec emere. 16. C. de jure deliber.* quia invitum comparare vel distrahere postulantis desiderium, justam causam non continet, *l. invitum, 11. C. de contr. empt.* imò per rapinam ab invito domino, res etiam justo pretio comparatur, *l. nec quasi. 70 ff. de rei vind.*

30. Vendere tamen nonnulli justo pretio, *l. omnia. 1. §. cura. 11. ff. de off. pref. urb. l. servi. 2. C. pro quib. caus. servi pro præm. l. fin. in pr. ff. de L. Jul. de annonæ. l. non debere. 8. ff. de municip.* etiam inviti coguntur & quidem: (1.) Commodo id suadente publico (quod enim communiter omnibus prodest, hoc rei privatæ nostræ utilitati præferendum est, *l. un. §. hæc autem. 14. C. de cad. toll.* cum etiam proutilitate communi, multa jure civili, contrarationem disputandi recepta sint, *l. ita. 51. §. estimatio. 2. ff. ad L. Aquil.*) verbi gratia, propter annonæ inopiam: quia curandum est, ut affluens rerum copia sit in urbibus, *Nov. 24. cap. 3. vid. quoque d. l. 1. §. 11. ff. de off. pref. urb. §. 1. negotiatores. 1. C. de episc. aud.*

31. Eadem ratione (2.) si viæ publicæ vel fluminis impetu vel ruinâ, *l. si locus. 14. §. 1. ff. quemadm. serv. amitt.* exemptus commeatus sit, vel via coarctata, intervenit magistratus, *l. prætor ait. 2. §. si via. 25. ff. ne quid in loc. publ.* ut scilicet vicinus proximus viam præstet. *d. l. 14.*

32. Nec non (3.) Domini servos, qui monetarios adulterinam monetam clandestinis sceleribus exercentes, in publicum detulerint, civitate donare & pretium à fisco percipere debent. *l. servi. 2. C. pro quib. caus. serv. pro præm.*

33. (4.) Humanitatis intuitu à Divo Antonino, nè auxilium contra sævitiam vel famem vel intolerabilem injuriam denegetur iis, qui justè deprecantur, *§. fin. 1. de his qui sui vel alieni. l. si dominus. 2. ff. eod.* constitutum est, ut si intolerabilis videatur sævitia dominorum, cogantur servos suos bonis conditionibus vendere: Expedi enim Reipublicæ, nè suâ re quis malè utatur, *d. §. fin.*

34. (5.) Favore libertatis quo antiquos legumlatores multa etiam contra communes regulas statuisse, manifestum est, *§. fin. 1. de donat.* sancitum est, ut servus communis, si unus ex dominis libertatem ipsi imposuerit, ab altero etiam pretiò illi præstitò, eandem accipiat *d. §. fin. §. l. cum apud. 2. C. de comm. servo manum.*

B

35. Hæc

35. Hâc quoque de causa (6.) si quis propter nimiam paupertatem egestatemque victus causâ filium filiamve sanguinolentos venderit, licet ipsi aut cuilibet alii ad ingenuitatem eum propriam reperere, *l. si quis. 2. C. de patr. qui fil. suos distrax.* Et sic, qui à parente filium filiamve emit, rursus vendere tenetur.

36. (7.) Ob religionem factum est, ut, si quis sepulchrû habeat, viam autem ad sepulchrum non habeat, vicinus compellatur, justo pretio iter ei præstare, ita tamen, nè magnum patiatur damnum, *l. si quis. 12. pr. ff. de relig. & sumpt. fun.*

37. (8.) In gratiam ultimæ voluntatis (quæ nobis lex sit, *Nov. 22. cap. 2.* Nihil enim est, quod magis hominibus debeatur, quàm, ut supremæ voluntatis liber sit stylus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium, *l. habeat. 1. C. de SS. Eccles.*) hæres à testatore sciente rem alienam esse, *§. non solum. 4. vers. quod autem. I. de legat.* illam vel vendere, *l. si hæres. 5. pr. ff. de act. empt. l. si cui. 49. §. meminisse. 8. l. & si. 66. ff. de leg. & fidei com. I. vel emere, d. l. 66. & §. non solum. 4. I. de leg. damnari & cogi potest.*

38. (9.) Ratione communionis, in quâ nemo compellitur invitus detineri, *l. in communi. 5. C. comm. divid.* cùm discordias ea excitare soleat, *l. cum pater. 77. §. dulcissimis. 20. ff. de leg. & fid. 11.* fundum totum emere aut vendere, quis necessum habet, per *l. communi. 7. §. si debitor. 13. ff. comm. divid. & l. Julianus. 13. §. idem Celsus. 17. ff. de act. empt.*

39. II. Verus, non simulatus: quia, imaginaria & nuda venditio pro non facta est, & ideò nec alienatio ejus rei intelligitur, *l. nuda et. 55. ff. de contr. empt.* juris siquidem vinculum non obtinet; cùm fides facti simuletur, non intercedente veritate, *l. contractus. 54. ff. de oblig. & act.*

40. Ideircò (1.) Emptio-venditio donationis causa contrahi non potest, *l. sicut emptio. 20. ff. loc. cond.* quia, in sui deficit substantia, *l. si donationis. 3. C. de contr. empt.* quamvis enim pretium rei ponatur, donationis tamen causâ non exigitur, *l. cum in. 36. ff. eod.* acta autem simulata veritatis substantiâ non mutant, *l. acta. 2. C. plus val. quod. ag.*

41. Pariter (2.) uno nummo illa celebrari nequit, arg. *l. si quis. 46. ff. locati. & l. si quis 10. §. si quis. 2. ff. de acqu. vel amitt. poss.* ubi, unus nummus & pretium sibi opponuntur: ast hîc pretium constitui oportet,

tet, nam nulla emptio sine eo esse potest, *in pr. l. de empt.* Aliud tamen asserendum erit, ubi res vendita minoris est momenti & non plus valet.

42. III. Mutuus utriusque contrahentium: Nam in vendentis vel elementis voluntatem collatâ conditione comparandi, quia non adstringit necessitate contrahentes, obligatio nulla est, *l. in vendentis. 13. C. de contr. empt.*

43. IV. Perspicuus & clarus: quia, si obscurus & ambiguus est consensus, Emptio & Venditio quidem valet, quamvis ab hac alterutra pars discedere velit, cum renunciare semel constitutæ obligationi adversario non consentiente nemo possit, *l. sicut initio. 5. C. de obl. & act.* Interpretatio autem fit contra eum, qui potuit re integrâ apertius dicere, *l. Labeo. 21. ff. de contr. empt. l. veteribus. 39. ff. de pact. & alia.*

44. V. Certus & non erroneus: cum nullus sit errantis consensus, *l. non idcirco. 9. C. de jur. & fact. ignor. l. ad probationem. 23. C. de loc. & cond.* quid enim tam contrarium consensui est, quam error, qui imperitiam detegit? *l. si per. 15. ff. de juris d.*

45. Ideoque (1.) Si in corpore dissentiatur, apparet emptionem nullam esse: ut, si ego me fundum emere putarem Cornelianum, tu mihi vendere Sempronianum putasti. Idem est, si ego me Stichum, tu Pamphilum absentem vendere existimasti. *l. in venditionibus. 9. pr. ff. de contr. empt.* Si autem in nomine dissentiant, verum de corpore constet, nulla dubitatio est, quin valeat Emptio & Venditio: nihil enim facit error nominis, cum de corpore constat, *d. l. 9. §. si in. 1.*

46. Sicutidem (2.) si in ipso corpore non erratur, sed in materia, error est, *d. l. 9. §. si. puta, si æs pro auro veneat, l. quid tamen. 14. ff. de contr. empt.* vel si mensam argento coopertam mihi ignoranti pro solida vendidisti imprudens, nulla est emptio, pecuniaque eo nomine data condicetur, *l. cum ab eo. 41. §. 1. ff. ibid.* Ubi verò de qualitate solum dissentiant, emptio est, veluti, si mensas quasi citreas quis emat, quæ non sunt, *l. si sterilis. 21. §. quamvis. 2. ff. de act. empt.* aut si aurum fuerit deterius quam emptor existimaret, *l. aliter. 10. ff. de contr. empt.* aut si virginem se emere quis putaret, cum esset jam mulier, *l. alioquin. 11. §. 1. ff. eod.* quò etiam faciunt exempla. *d. l. 9. §. 2. l. quid tamen. 14. & l. Labeo 45. ff. ibid.* Venditor tamen teneri debet, quanti interest emptoris, deceptum non esse, etsi venditor quoque nesciat. *d. l. 21. §. 2.*

47. Nec non (3.) si in sexu error est, nulla emptio, nulla venditio est, ut si ego mulierem venderem, tu puerum emere existimasti, *l. alioquin. 11. § 1. ff. de contr. empt.*

48. Verum dicta de errore circa res venditas, res principaliter in contractum deductas & non accessiones concernunt; sic, si in emptio-
ne fundi dictum sit, accedere Stichum servum, neque intelligatur,
quis ex pluribus accesserit, cum de alio emptor, de alio venditor sen-
ferit, nihilominus fundi venditionem valere constat, *l. si in. 34. in pr. ff. de contr. empt.*

49. Tandem etiam (4.) si dissensus est in pretio, emptio imperfe-
cta est, per sapius alleg. *l. 9. in pr.* nam pretii sc. certi conventio per-
ficit sine scriptis habitam emptionem, *l. inter patrem. 2. § 1. ff. de contr. empt.* Distinguendum tamen erit, an venditor majus, emptor minus pretium intellexerit, an verò contra, venditor minus, & emptor ma-
jus: Illo casu, dissensus, qui intercedit, contractum impedit; hoc au-
tem non, arg. *l. si decem. 52. ff. loc. cond.* quia in eo, quod plus est, sem-
per inest & minus. *l. in eo. 110. ff. de reg. jur.*

50. Materia sunt res seu merx à parte venditoris, & pretium à parte emptoris. Agendum erit primò de illa, postea etiam de hoc.

51. De rebus hæc extat regula in *l. si in. 34. §. omnium. 1. ff. de contr. empt.* ubi dicitur: Omnium rerum, quas quis habere vel possidere vel persequi potest, venditio rectè fit. Quas verò natura, vel gentium jus, vel mores civitatis commercio exuerunt, earum nulla venditio est.

52. Commercio autem exemptæ sunt: I. Res, quæ vel esse non po-
test, ut Hippocentaurus, *§. at si 1. l. de inutil. stip.* aut partus sterilis an-
cillæ vel majoris annis quinquaginta, *l. si sterilis. 21. ff. de act. empt.*
vel quæ fuit quidem, esse tamen in rerum natura ante venditionem
desiit. *l. etsi. 15. pr. ff. de contr. empt.* puta, servus mortuus, *l. si duos. 44. ff. d. tit.* item, tota domus exusta, *l. domum. 57. §. sin autem 1. eod.*
Nam hæc ratione nulla res, quæ veneat, adest; sine ea autem nec em-
ptio, nec venditio potest intelligi, *l. nec emptio. 8. pr. ff. eod.*

53. II. Homo liber; quem sciens emere non possum, *l. sed Celsus. 6. pr. l. si in. 34. §. liberum. 2. § l. liberi. 70. ff. de contr. empt.* quia nec da-
ri oportere intendi, nec æstimatio ejus præstari potest, *l. liber. 103. ff. de verb. oblig.* Sed nec talis emptio admittenda est: cum servus erit;
nec enim fas est, ejusmodi casus expectare. *d. l. 34. §. 2.* Verum exci-
pitur

pitur: 1. Cùm liber homo, major 20. annis sese venundari passus est, ad pretium participandum, § *serui autem*. 4. *l. de jur. pers. l. liberis*. 7. *pr. ff. de lib. causi*. Deindè, si quis propter nimiam paupertatem egestatemq; victus causâ, filium filiamvè sanguinolentos vendiderit, *l. si quis*. 2. *C. de patr. qui fil. suos distr.*

54. III. Res divini juris, ut est res sacra, quæ non recipit æstimationem, *l. sacra*. 9. §. *fin. ff. de div. rerum*. Vel religiosa, quæ, ut & sacra, non vendi potest, *l. continuus*. 137. §. *cum quis*. 6. *ff. de verb. obl. & eam frustra quis emit*. §. *fin. l. de empr. l. hanc legem*. 22. *ff. de contr. empt.* Vel sancta, quæ etiam quodammodo divini juris est, §. *sancta*. 10. *l. de rer. d. vis. l. summa*. 1. *pr. ff. eod.* Quod autem divini juris est, id nullius in bonis est, §. *nullius*. 7. *l. de rer. div.* Et ulterius, quod nullius esse potest, id, ut alicujus fieret, nulla obligatio valet efficere, *l. quod nullius*. 182. *ff. de reg. jur.* Verùm, si nõ specialiter locus sacer vel religiosus venit, sed emptioni majoris partis accessit, in modicis ex empto est actio, *l. in modicis*. 24. *ff. de contr. empt.* ut dominus ejus efficiatur, arg. *l. quedam quæ*. 62. *ff. de acquir. rer. dom.* Nisi hâc lege fiat venditio, ut, si quid sacri vel religiosi insit, ejus veneat nihil, *l. hanc legem*. 22. *ff. de contr. empt.* & *l. utimur*. 5. *ff. de sepulch. viol.* Deinde quoque vasa vel vestes cæteraque donaria, quæ ad divinam religionem necessaria sunt, in causa captivitatis & famis alienari possunt: quoniam non absurdum est, animas hominum quibuscunque vasis vel vestimentis præferri, *l. sancimus*. 21. *C. de SS. Eccles.* Præterea si habeat Ecclesia superflua vasa, cùm debitor sit, nec aliunde solvere possit, vendantur, quò magis debitum persolvatur, *Auth. præterea*. *C. d. iij.*

55. IV. Res communis omnium, ut est, aer, aqua profluens, & mare, & per hoc littus maris, §. *quidem*. 1. *l. de rer. divis. l. quedam*. 2. §. 1. *ff. ibid.* quia nullius est, sed jure gentium omnibus vacat, *l. littora*. 51. *ff. de contr. empt.* ideoque, ut alicujus fieret, nec Emptio-venditio valet efficere, *l. quod nullius*. 182. *ff. de reg. jur.*

56. V. Res publica, propriè sic dicta, quatenus contradistinguitur & rei communi omnium & rei universitatis, *in pr. l. de rer. div.* ut est, flumen & portus: ideoque jus piscandi omnibus commune est, in portu fluminibusque, §. *flumina*. 2. *l. eod.* eorum autem nulla est emptio, cùm publicum non veneat, *l. hanc legem*. 22. *ff. de contr. empt.* Nisi res, non solùm in usu publico, sed & in patrimonio fisci, *l. pacta*. 72. §. 1. *ff. ibid.* vel Principis sit.

57. VI. Res universitatis, utpote; forum, basilica, *l. continuus. 137.* §. *cum quis. 6. ff. de verb. obl.* theatrum, stadium, & si quid aliud est commune civitatis. §. *universitatis. 6. I. de rer. div.* in nullius bonis esse creditur, *l. summa. 1. pr. ff. eod.* & publicis usibus in perpetuum relicta est, *d. l. 137. §. 6.* Quapropter talem frustra quis emit, §. *fin. I. de empt.* Notandum tamen: super hâc relicere civitati venditionis pro suo commodo inire contractum, ut summa pretii exindè collecta ad renovanda sive restauranda publica mœnia dispensata proficiat, *l. si qua. 3. C. de vend. reb. civ.* in qua *l.* etiam solennitates certæ, quæ omninò observandæ, præscribuntur. Pariter res universitatis, cujus usus ad privatos pertinet, putà, taberna, quæ in solo publico est, vendi potest; non quidem solum, sed jus ejus, *l. qui tabernas. 32. ff. de contr. empt.*

58 Hactenus allata solùm obtinent in sciente emptore: Nam, si loca sacra, vel religiosa, item publica, pro profanis vel privatis deceptus à venditore quis emerit, habebit actionem ex empto, quod non habere ei liceat, ut consequatur, quod sua interest, eum deceptum non esse, §. *fin. I. de empt. l. qui officii 62. §. qui nesciens. 1. ff. de contr. empt.* Undè & earum rerum, si ab ignorante emanant, emptionem intelligi, dicitur in *l. & liberi. 4. eod.* Idem juris est in libero homine, *d. §. fin. & d. l. 4.* propter assiduam enim & quotidianam comparisonem servorum ita constitui, publicè interfuit. *l. justo errore. 44. pr. ff. de usurp. & usucap.* quia difficilè dignosci potest liber homo à servo, *l. quia. 5. ff. de contr. empt.*

59. Præterea accidit aliquando, ut, qui dominus sit, alienare non possit, *pr. I. quib. alien. lic. vel non.* Hinc rerum, quæ in privatorum dominio sunt, quædam omninò, quædam inter certas tantùm personas alienari prohibitæ.

60. In numero rerum, quæ omninò alienari non debent, est: I. Res pupilli aut minoris, quam sine tutoris vel curatoris auctoritate & consensu vendi non posse, supra ostensum est, nec ulli tutorum curatorumvè eam, nisi fortè necessitate urgente (veluti ob æs alienum, *l. ob æs. 12. C. de præd. & al. reb. min. sin. decr.*) vendere licet: Et quidem interpositione decreti magistratûs. *l. lex qua. 22. C. de adm. tur.* causâ cognitâ, *l. magis puto. 5. §. non passim. 9. & duobus sequentibus. l. si prædia. 11. ff. de reb. eor. qui sub.* Exceptis duntaxat rebus, quæ servando
servæ

servari non possunt, ut, vestes detritæ usu seu corruptæ ac animalia supervacua, *d. l. 22. in fin. ut & fructus, l. sancimus. 28. §. fin. C. ibid.*

61. II. Prædium dotale, cujus interdicta est alienatio marito, in tantum, ut, neque consentiente muliere procedat; nè sexûs muliebris fragilitas, in perniciem substantiæ earum convertatur, *pr. l. quib. alien. lic. vel non. & in repentinam deducatur inopiam, l. un. §. fin. C. de rei uxor. act.* Aliter se res habet in prædio dotis æstimato, in quo dominium & periculum mariti est. *d. l. un. §. fin.*

62. III. Res propter nuptias donata immobilis: Quod enim semel vinculis sponsalitiæ largitatis obligatum est, non erit conveniens alienari, ut mulier eveniente forsitan lucro, quod ei cõfert antenuptialis donatio, difficultatem patiatur, non inveniens rem in viri substantia, *Nov. 61. in pr.* Quamvis consentiat mulier, nisi (1.) etiam biennii tempore existente, celebraverit consensum; plura namque ex primo mox auditu delinquuntur: muliere quippe mariti seductionibus facile decepta & propria negligente jura; cum verò plurimo tempore cogitaverit pro negotio, fiet forsitan cautior. *d. Nov. §. etsi. 2.* Et (2.) sint aliæ res, ex quibus possibile est, ei satisfieri, *ibid. §. veruntamen. 3.*

63. IV. Res litigiosa: Nam, lite pendente actionem, quæ in iudicium deducta est, vel rem, pro qua actor à reo detenta intendit, in conjunctam personam vel extraneam, vel emptionibus vel quibuslibet aliis contractibus minimè transferri ab eodem actore licet: tanquam, si nihil factum sit, lite nihilominus peragenda, *l. lue. 2. C. de litigios. nè eo modo duriores adversarii conditionem faciat, l. rem de qua. 3. ff. d. tit. vid. quoque l. litigiosam. 1. ff. & l. censemus. 4. C. ibid. ubi, non solum pœnæ in hanc alienationem constitutæ, sed etiam exceptionum quarundam fit mentio.*

64. V. Res feudalis: Nulli enim licet feudum vel totum vel partem aliquam vendere vel quocunque modo distrahere vel alienare, sine permissione illius domini, ad quem feudum spectare dignoscitur: cum venditor & emptor, qui tam illicitas alienationes reperti fuerint, contraxisse, feudum amittant, & ad dominum liberè revertatur, *2. Feud. 55. §. 1. De prohibita feudi alienatione agitur itidem, 2. Feud. 52.* Quibus autem in casibus hæc alienatio procedat, inquireri poterit apud Feudistas.

65. VI. Res Emphyteutica: quia minimè licet emphyteutæ sine consen-

consensu domini meliorationes suas aliis vendere vel jus emphyteuticum transferre, cum, hoc modo jure emphyteutico cadat, *l. fin. C. de jur. emphyteut.* Poterit tamen hoc facere, si requisita in *d. l. fin.* præscripta probè observet.

66. VI. Tignum adibus junctum: Senatus namque censuit, nè quis domum villamvè dirueret, quò plus sibi acquireretur, nè quis negotiandi causâ, eorum quid emeret venderetvè, *l. senatus. 52. ff. de contr. empt.* Hinc, si quis ad demoliendum negotiandi causâ vendidisset domum partemvè domûs fuerit convictus, ut emptor & venditor singuli pretium, quo domus distracta est, præstent, constitutum est, *l. fin. ff. de damno infecto. confer. d. l. 52.* Ad opus autem publicum si quis transferat marmora vel columnas, licito jure facit, *d. l. fin.* Quemadmodum etiam maritus in casu *l. senatus. 43. S. Marcellus. 1. ff. de legat. 1.*

67. VII. Res restitutioni subjecta: Nemo enim putet talia alienanda, sed sciat, hoc, quod alienum est, non ei licere, utpote sui patrimonii existens, alieno juri applicare: quia satis absurdum est, & irrationabile, rem, quam in suis bonis purè non possidet, eam ad alios posse transferre, *l. si duobus. 3. S. sed quia. 2. C. comm. de legat.* Interim tamen rem, quæ subjacet restitutioni, permittitur alienare ob favorem dotis & donationis propter nuptias, *Auth. res qua. C. d. tit.* Item in redemptionem captivorum, & in egentium alimenta, *Auth. nisi rogati. C. ad SCtum. Tertull.* Nec non necessitate urgente, utpote, si quis non habeat, unde faciat expensas, *Auth. contra eum rogatus C. ibid.*

68. VIII. Res furtiva: quia si & emptor & venditor scit furtivum esse, quod venit, à neutra parte obligatio contrahitur. Si emptor solus scit, non obligabitur venditor, nec tamen ex vendito quicquam consequitur, nisi ultrò, quod convenerit, præstet. Quod si venditor scit, emptor ignoravit, utrinque obligatio contrahitur, *l. si in emptione. 34. S. item si. 3. ff. de contr. empt.* Emptor tamen rem sine pretio reddere domino tenetur, per *l. incivilem. 2. C. de furt.*

69. IX. Servus fugitivus: quem cum sui furtum facere manifestum est, *l. servum. 1. C. de serv. fugit.* neque vendere, *l. in fuga. 6. C. ad L. Fab. de plag.* neque emere possumus, arg. *l. si in. 34. S. item si 3. ff. de contr. empt.* Nè ejus fuga domino suo ex quacunque causa fiat damnosa.

70. X. Res vi possessa: Cum nec, si longo tempore bona fide possessa fuerit, usucapi possit, §. *furtiva. 2. l. de usucap. § long. temp.* Jam verò usucapio est alienationis species, *l. alienationis. 28. ff. de verb. sign.* sub qua aliæ graviores omninò etiam prohibitæ sunt.

71. XI. Venenum malum: quod nullo modo adjectione alterius materiæ, usu nobis esse potest, *l. quod sepe. 35. §. veneni. 2. ff. de contr. empt.* Imò L. Corneliæ de figar. & venef. poenâ afficitur, qui in publicum hoc vendidit, *l. ejusdem. 3. §. ejusdem. 1. ff. ad. L. Cornel. de figar.* De eo verò, quod mixtum aliis materiis, adeò nocendi naturam deponit, ut ex hoc antidotum vel aliud quoddam salubre medicamentum conficiatur, aliud dici potest, *d. l. 35. §. 2*

72. XII. Eunuchus: qui nullatenus quolibet modo ad dominium cujusquam transferri potest, poenâ gravissimâ statutâ in eos, qui hoc, perpetrare ausi fuerint, *l. Romana. 2. C. de eunuch.* inspicienda quoq; *Nov. 142.* Barbaræ autem gentis eunuchos, extra loca Romano Imperio subjecta, factos, cunctis negotiatoribus vel quibuscunque aliis emendi in commerciis & vendendi, ubi voluerint, tribuitur facultas, *d. l. 2.*

73. XIII. Publici canonis frumentum: Hoc enim vendentes & ementes, sciant, capitali poenæ se esse subdendos, & in publicam fraudem commercia contracta damnari, *l. quia 3. C. que res ven. non poss. l. qui fiscales. 7. C. de navic. seu naucl.*

74. XIV. Frumentum, quod exercitui mittitur; quia, nè in prædam lucrumvè vertatur, decretum est, ut, quicumque hoc fortè fuerint mercati, honestiores quidem stylum proscriptionis, & omnium bonorum amissionem incurrant: inferiores autem vilioresque personæ capitali supplicio subjaceant, *l. ne frumentum. 4. C. que res ven. non poss.*

75. XV. Cupressus ex luco Daphnensi & arbores Perseæ per Ægyptum: Nam, si quis eas comparaverit, quinque libris auri noverit se esse multandum; non minore dispendio, & illo feriendo, qui vendere illas ausus fuerit, *l. 1 & 2 C. de cupr. ex luc.*

76. Rebus, quas aut emere aut vendere certis personis interdictum est, accensetur: I. Res sua; cujus emptio non valet, sive sciens, sive ignorans quis emit, *l. sue rei. 16. pr. ff. de contr. empt.* cum rei propriæ emptio non possit consistere, *l. cum res 4. C. eod.* quia, quod proprium est, amplius ejus fieri non potest, §. *sed si. 10. l. de leg. §. sic itaq; 14. l. d*

C

action

actio. l. § an. 14. §. actiones. 2. ff. de exec. rei jud. Sed si ignorans emit, quod solvit, repetere poterit; quia nulla obligatio fuit, *d. l. 16. in pr.* Nec tamen emptioni obstat: 1. Si in ea re ususfructus duntaxat ementis sit *d. l. 16. §. 1.* quo casu officio iudicis pretium minuetur, *l. officio 17. ff. de contr. empt.* Aut 2. si communis ea res emptori cum alio sit, ubi scisso pretio pro portione, pro parte emptio valet, pro parte non valet, *l. sed si. 18. in pr. ff. ibid.* Vel 3. si possessionem emat, quam fortè venditor habuit, *l. si in. 34. §. rei sue. 4. ff. eod. l. si aliquam. 28. ff. de aequ. vel am. poss.* Et denique 4. si alius quid juris in ea habeat, suavè esse desinat, arg. *d. l. 4. C. d. tit.* item *l. cum in. 2. C. si in causa jud. pign.* ut & *l. cotem. 11. §. eam rem. 4. ff. de publ. & vectig. junctà l. commissa. 14. ff. eod.* In tantum, ut possim id quod meum est, sub conditione emere: quia fortè speratur meum esse desinere, *l. existimo. 61. ff. de contr. empt.*

77. II. Res, vel ad victum pertinentes, ut, vinum, oleum, liquamen, *l. ad barbaricum. 1. C. qua res export. non deb.* frumentum & sales, *l. cotem. 11. ff. de publ. & vectig.* Vel usum in bello habentes, puta, eos, ferro subigendo necessaria, ferrum, *d. l. 11.* & cujuscunque generis arma atque tela, barbaris aut hostibus nemò audeat venundare: Perniciosum namque Romano Imperio & proditioni proximum est, barbaros, quos indigere convenit, telis eos, ut validiores reddantur, instruere. Si quis autem aliquid dictarum rerum iis vendiderit, bona ejus universa protinùs fisco addicentur, & ipse quoque capitalem poenam subibit, *l. fin. C. qua res export.*

78. III. Mancipium Christianū, quod Paganus & Judæus, & Samaritanus & alius hæreticus comparare vel habere nequit, *tot. tit. C. Ne Christ. mancip.*

79. IV. Sal: si quis enim sine persona mancipum, id est, salinarum conductorum, sales emerit vendere tentaverit, sales ipsi cum eorum pretio mancipibus addicuntur, *l. si quis. 11. C. de vectig. & comm.*

80. V. Purpura: cum fucandæ atque distrahendæ purpuræ facultatem nullus possit habere privatus; sin autem aliquis eam vendiderit, fortunarum suarum & capitis sciat se subiturum esse discrimen, *l. fucanda. 1. C. qua res ven. non poss.*

81. VI. Sericum: comparandi namque ejus à barbaris facultas omnibus, præter comitem commerciorum, aufertur, *l. comparandi. 2. C. qua*

C. qua

C. quæ res ven. non poss. ut barbaris aurum minimè præbeatur, *l. non solum. 2. C. de comm. & mercat.*

82. Veniunt itaque in hunc contractum res, præter enumeratas omnes & corporales & incorporales, tam mobiles, quam immobiles, prout integris id ipsum Pand. & Cod. tit. demonstrari potest: quæ longius persequi, cum instituti nostri ratio hoc minimè permittat, superfedemus.

83. Quin imò rem non solum propriam, sed quoque alienam distrahere aliquem posse, nulla dubitatio est, *l. rem alienam. 28. ff. de contr. empt.* quò casu tamen emptor venditorem tantum evictionis nomine obligat, *l. ex empto. 11. §. & in primis. 2. ff. de act. empt.* aut si rem accepit, eidem auferri potest. *d. l. 28.* nisi à fisco facta sit venditio, cujus fidem infringi minimè rationis est, *l. multum interest, 2. C. de comm. rer. alienat.*

84. Sic itidem non tantum res existens, verum etiam futura, puta, fructus & partus futuri rectè emuntur, ut, cum editus esset partus, jam tunc, cum contractum esset negotium, venditio facta intelligatur, *l. nec emptio. 8. pr. ff. de contr. empt.* Hinc etiam spei est emptio, veluti cum qs. alea emittitur; quod fit, cum captus piscium vel avium vel missilium emittitur; quò casu emptio contrahitur, etiamsi nihil inciderit, *d. l. 8. §. 1.*

85. Tandem quoque annuos redditus, quamvis à quibusdam id negetur, licito jure emi, affirmandum per *l. jubemus. 14. §. fin. C. de SS. Eccl. Nov. 72. cap. 7. & Nov. 160. cap. 1.* Dummodò justam pensionem non excedant, arg. *l. cum non 16. & auth. ad hac. C. de usur.*

86. Si actum fuit de re, pergendum nunc ad pretium, quod I. certum, id est, definitum esse debet, *§. sed & 1. l. de empt.* Constat enim imperfectum esse negotium, cum emere volenti sic venditor dicat: quanti velis, quanti æquum putaveris, quanti æstimaveris, habebis emptum, *l. quod sapè. 35. §. illud. 1. ff. de contr. empt. l. hæc venditio. 7. in pr. ff. ibid.* Vel cum in arbitrium tertii alicujus pretii æstimatio collata est & sic composita venditio, quanti ille æstimaverit; tunc enim, si ille, qui nominatus est, vel noluerit vel non potuerit pretium definire, pro nihilo est venditio, *d. §. 1. l. de empt.* Secus autem est, si ille pretium definierit; quia tunc omnimodo secundum ejus æstimationem & pretium persolvatur & res tradatur & venditio ad effectum.

perducatur, *d. §*. Sic pari modo certitudinem suam pretium per relationem ad aliud accipere potest, verbi gr. si dicam: quanti tu emisti, vel quantum pretii in arcâ habes, *emo, d. l. 7. §. huiusmodi. 1. ff. de contr. empt.*

87. Item pretium II. in numerata pecunia consistere debet, *§. item 2. l. de empt. l. origo emendi. 1. in pr. ff. de contr. empt. l. empti. 9. C. ibid.* quia aliud est permutatio rerum; aliud emptio & venditio; alioqui non potest res expediri permutatis rebus. quæ videatur res venisse, & quæ pretii nomine data: nam utramque videri & venisse, & pretii nomine datam esse, ratio non patitur, *d. §. 2. d. l. 1. §. sed an. 1.* Respicendum autem est ad tempus vel (1.) conventionis, cum non pretii numeratio, sed conventio perficiat sine scriptis habitam emptionem, *l. inter patrem. 2. §. 1. ff. eod. pr. l. de empti.* vel (2.) scripturæ, cum in scriptis celebrata non aliter perfecta sit, nisi & instrumenta fuerint conscripta, & partibus suis absoluta, *d. pr.* non verò solutionis: manifesti namque juris est, rebus pro numerata pecunia consentiente creditore datis, tolli paratam obligationem, *l. manifesti. 17. C. de solut. & liber.* Hinc pretii causa non pecuniâ numeratâ, sed pro ea pecoribus in solutum consentienti datis, contractus non constituitur irritus, *l. pretii 9. C. de res. vend.*

88. Forma consistit in ipsa de merce tradenda & pretio dando facta conventionem, quæ, (ut in præcedenti thesi dictum) perficit hunc contractum, si sine scriptis habitus fuerit: si verò in scriptis, non sufficit ea, sed etiam scriptura (quod ibidem quoque ostensum) accedat necesse est. Notandum tamen, quod scriptura non per se & ex contractus natura: quia, neque verborum neque scripturæ ulla proprietas desideratur, *l. consensu. 2 §. 1 ff. de obl. & act. §. ideo autem. 1. l. de obl. ex cons.* sed quod à contrahentibus ab initio ita conventum fuit, hinc exigatur.

89. Exindè solet evenire: quòd nempè Emptio venditio celebretur vel in scriptis vel sine scriptis. *pr. l. de empt. l. ult. C. de contr. empt. l. contractus. 17. C. de fide instr.* Quid utraque sit & ad sui perfectionem desideret ex antecedentibus & alleg. *ll.* patet.

90. Præterea II. fit aut inter præsentem, aut inter absentes, & inter hos quidem vel per epistolam vel per nuncium, *§. unde inter. 2. l. de oblig. ex cons. l. origo emendi. 1. §. est autem 2. ff. de contr. empt. l. consensu. 2. §. unde inter. 2. ff. de obl. & act. l. fin. C. si quis alt. vel sibi.*

91. Insu-

91. Insuper III. contrahitur vel arrhâ datâ, vel sine ea. Et quidem si arrha (quæ huic contractui tanquam argumentum illius, *pr. I. de empt.* & ut evidentiùs probari possit, *l. quod sæpè. 35. pr. ff. de contr. empt.* interponitur) super cujuscunq̃ue rei sive in scriptis sive sine scriptis faciendâ emptione data est, licet non sit specialiter adjectû, quid super eâdem arrhâ, non procedente contractu fieri oporteat, tamen & qui vendere pollicitus est, venditionem recusans, in duplum eam reddere cogitur, & qui emere pactus est, ab emptione recedens, datâ à se arrhâ cadit, repetitione ejus denegandâ, *l. contractûs. 17. C. de fid. instr. pr. I. de empt.* Si verò contractui jure perfecto (de quo alterutro invito nullo recedi tempore bona fides patitur, *l. de contractu. 3. C. de resc. vend*) arrha accedit, aliter sese res habet, & arrhæ jacturâ, vel ejus in duplo restitutione resilire ab illo non licet. Cum nec venditor, duplum offerens pretium emptori, audiendus sit, *l. non est. 6. C. eod.*

92. Deniq̃ue IV. tam sub conditione, quàm purè contrahî potest. Sub conditione, veluti: Si Stichus intra certum diem tibi placuerit, erit tibi emptis aureis tot, *§. penult. I. de empt.* aut, si rationes domini computasset arbitrio servus, *l. hæc venditio. 7. pr. ff. de contr. empt.* Tenendum autem I. Conditionalem Emptionem-venditionem tunc perfici, cum impleta fuerit conditio, *d. l. 7.* 2. Conditionem esse debere possibilem. Nam hîc contractus impossibili conditione interpositâ, nullius momenti est, quia in ea re, quæ ex duorum pluriumvè consensu agitur, omnium voluntas spectetur, quorum procul dubio in hujusmodi actu talis cogitatio est, ut nihil agi existiment, appositâ eâ conditione, quam sciant esse impossibilem, *l. non solum. 31. ff. de obl. & act.* Impossibilium enim nulla obligatio est, *l. impossibilium. 185. ff. de reg. jur.* 3. Exigi ut conditio sit honesta sive II. permissa: Nam quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est, *l. filius. 5. ff. de cond. instit.* exemplum exhibet, *l. si in 34. §. liberum. 2. & l. domini. 42. ff. de contr. empt. l. circumcidere. 11. §. 1 & 2. ff. ad L. Corn. de sicar.*

93. Finis est publica utilitas: Nam, quia non semper nec facilè concurrebat, ut, cum tu haberes, quod ego desiderarem, invicem haberem, quod tu accipere velles, electa materia est, cujus publica ac perpetua æstimatio difficultatibus permutationum subveniret, *l. origo emendi. 1. pr. ff. de contr. empt.*

94. Effectus est mutua obligatio: De contractu enim Emptionis-Venditionis propter minimam causam, *l. res bona. 54. ff. de contr. empt.* imò nec ex rescripto Principis, alterutro invito recedi potest, *l. de contractu 3. C. de resc. vend.* quia renunciare semel constitutæ obligationi adversario non consentiente, nemo potest, *l. sicut. 5. C. de oblig. & act.* Hinc nec si à venditore duplum offeratur pretium emptori, hic ad rescindendam venditionem urgeri debet, *l. non est. 6. C. de resc. vend.*

95. Ad præstationes itaque mutuas & emptor & venditor tenetur. quas si alteruter præstare recuset, actione aut empti aut venditi, qua hoc in casu proditæ sunt, conveniri potest.

96. Utraque actio I. nomen proprium habet desumptum ab actore, cui competit per *l. Julianus. 13 §. ex vendito. 19. ff. de act. empt.* ex cuius jure actiones metiendæ sunt arg. *l. post actionem. 1. §. quæ hæreditatem. 1. ff. si pars hæred.*

97. II. Est civilis, *l. proinde. 33. in pr. ff. de Ædil. ed.* ubi expressè ponitur, quod ex jure civili actio sit.

98. III. Bonæ fidei, *§. actionum. 28. I. de act. l. exempto. 11. §. & in primis. 1. ff. de act. empt.* quia ex contractu bonæ fidei descendit.

99. IV. Directa; quia uterque agit ad id, de quo contractus principaliter est initus: & ideò etiam nulla conditio alterutrius debet esse melior, arg. *l. non debet. 41. pr. & l. invitus. 156. §. plerumq. 3. ff. de reg. jur.* Attamen utilis quoque actio domino vel adversus dominum ex contractu procuratoris competit, *l. Julianus. 13. §. si procurator. 25. ff. de act. empt.*

100. V. Personalis, per *l. adversus. 1. & l. si ancillam. 11. C. de act. empt.* quia est ex contractu, *l. actionum. 25. §. actionum. 1. ff. de obl. & act.* jam verò, quando quis agit cum eo, qui ei obligatus est ex contractu, competit actio in personam, *§. omnium. 1. l. de act.*

101. VI. Perpetua, cum personalis sit, ut jam dictum, & ad 30. annorum spatium protendatur, *l. sicut. 3. C. de prescr. 30. vel. 40. ann.*

102. VII. Ad hæredes transitoria, *l. non est. 10. l. Lucius. 47. ff. de act. empt.* quia ex contractibus venientes actiones, ut hæredibus, ita & in hæredes dantur, *l. ex contractibus. 49. ff. de obl. & act.* nisi defunctus dolosè versatus sit, & ad hæredem ejus nihil ex eo dolo pervenerit, *§. non autem. 1. l. de perp. & temp. act.*

103. Actio Empti, quemadmodum nominatur in *Rubr. ff. & C. de act. Empt.*

act. Empt. vel ex Empto, prout appellatur in *l. ex empto 11. pr. ff. d. tit.* & passim. est, quæ datur emptori adversus venditorem, ad omne id consequendum, quod præstari convenit, cum enim sit bonæ fidei iudicium, nihil magis bonæ fidei congruit, quam id præstari, quod inter contrahentes actum est: quod si nihil appareat, tunc ea præstanda, quæ naturaliter insunt huius iudicii potestate, *d. l. ex empto. 11. §. & in primis 1. l. Titius. 48. ff. de act. empt.*

104. Naturaliter verò inest, & ob id hæc actione ab emptore venditor i. conveniri potest, ut si facultatem rei tradendæ habeat, non interesse invito eidem, sed præcisè rem ipsam tradat, quod demonstrant vocabula *in primis & oportet*, quæ habentur in *l. ex empto. 11. §. & in primis. 2. ff. de act. empt.* ut & *§. alia autem. 2. l. de donat.* ubi expressè dicitur, venditionem in se habere necessitatem traditionis: in tantum, ut ad ejus exemplum quoque constitutum idem sit in donatione inter vivos. *d. §. Confirmat insuper idipsum §. sed & 1. & quidem vocab. omnimodò l. de empt. l. non est. 6. C. de resc. vend. & l. quamplurima.*

105. Prætereundum hîc minimè traditionem non solùm reali traditione, sed variis modis expediri posse, ex. gr. clavibus traditis, mercium in horreis conditarum possessio tradita videtur, *l. clavibus. 74. ff. de contr. empt. §. item si. 72. l. de rer. div.* sic alia, quæ vim traditionis habent, reperiuntur in *§. interdum etiam. 44. l. d. tit. l. emptionum 1. C. de donat. cum similibus.*

106. II. Ut vacuam quoque rei traditæ possessionem (quæ, quid sit, liquet ex *l. si in. 2. §. vacua. 1. ff. de act. empt.*) præstet, *l. si pater. 8. C. de act. empt. l. cum res. 12. C. de probat. & arg. l. qui prædium. 13. C. de dist. pign.*

107. III. Ut unà commoda exhibeat, qualia sunt fructus, & pendentes seu maturi, *l. Julianus. 13. §. si fructibus. 10. ff. de act. empt.* & post perfectum jure contractum percepti, quos emptoris personam spectare convenit, per *l. fructus. 13. C. eod.* item foetus pecorum, *l. penult. C. ibid.* id, quod fundo per alluvionem post emptionem accessit, *§. cum autem. 3. l. de empt. l. id quod. 7. pr. ff. de per. & comm.* ut & si quid ex operis fervorum vel vecturis jumentorum vel navium, quæsitum est, *d. l. Julianus. 13. §. item si. 13. ff. de act. empt.*

108. Quoniam autem æquum est, ut qui participat lucrum, participet

cipet & damnum, *l. si igitur. 55. ff. pro soc. & vice versâ, commodum ejus esse debet, cujus est periculum, §. cum autem. 3. l. de empt. quod secundum naturam esse dicitur, in l. secundum. 10. ff. de reg. jur. ideoq; perfectâ emptione periculum quoque rei venditæ ad emptorem respicit, l. necessariò. 8. pr. ff. de per. & comm. l. post perfectam. 1. l. cum inter. 4. C. de tit, tametsi ea res illi tradita non sit; in tantum, ut eidem etiam necesse sit, pretium solvere d. §. 3. ubi aliquot suppeditantur exempla, Confer, *l. si soluturus. 39. ff. de solut.**

109. Venditor econtrâ de periculo est securus & quod attinet fatale damnum vel vim majorem, excusatus est, *l. hoc ita, 2. §. custodiam. 1. ff. de peric. & comm.* Excipitur tamen à regulâ hâc: (1.) si quid dolo vel culpa ejus accidit, §. cum autem 3. l. de empt. quia, ubi utriusque utilitas vertitur, ut in empto, & dolus, & culpa præstatur, *l. si ut. 5. §. nunc videndum. 2. ff. commod.* non tantum lata, sed & levis: custodiam enim venditor talem præstare debet, quam hi, quibus res commodata est; diligentiam nempe exactiorem, quam in suis rebus adhiberet, *l. custodiam. 3. ff. de peric. & comm.* (2.) Si mora ejus in traditione intercessit, *l. cum inter. 4. C. de tit.* tunc enim in id, quod interest, agitur, hoc est, quod rem habere interest emptoris, *l. si res. 1. pr. l. si sterilia. 21. §. cum per. 3. ff. de act. empt. l. si traditio. 4. l. cum venditorem. 10. C. ibid & alibi.* (3.) Si res non in individuo, sed in genere vendita est: quia enim genus non interit, & sic rem venditam periisse dici non potest, ea utique est præstanda, arg. *l. incendium. 11. C. si cert. per. referenda huc l. quod si. 14. §. 1. ff. de peric. & comm.* (4.) Si res alternativè sunt emptæ, ut vel in potestate venditoris, quam dare, vel in emptoris arbitrio sit, quam habere velit, verbi gr. Est mihi emptus Stichus aut Pamphilus. Quo casu prioris periculum ad venditorem, posterioris ad emptorem respicit, *l. si in 34. §. si emptio. 6. ff. de contr. empt.* (5.) Si res sub conditione aut empta, aut vendita, antè conditionis existentiam planè periit: contractus enim sub conditione initus, tunc demum perficitur, cum impleta fuerit conditio, *l. hæc venditio. 7. pr. ff. d. iii.* Idem asserendum erit, si in rebus, quæ pondere, numero, mensuravè constant, convenit, ut appendantur, annumerantur vel admetiantur: quia venditio quasi sub ea conditione videtur facta; *l. quod sæpè. 35. §. in his. 5. ff. de contr. empt.*

110. IV. Ut præstet emptori rem in posterum habere licere, nè
evinca

evincatur, *l. ex empto. 11. §. idem Neratius. 8. ff. de act. empt. l. venditor. 8. ff. de evict.* venditorem enim, si dominus rei non fuit, evictionis nomine sibi obligat, *d. l. §. & inprimis. 2.* atque hinc, si evicta res fuerit, agi ex empto ad id, quod interest, potest, *d. l. 3.*

III. Insuper tenetur ex *Ædilitio Edicto* venditor, si rei usus ob vitium vel morbum impediatur, quâ de re præter alia agit *101. tit. ff. de Ædil. Edicto.* Causa proponendi Edicti fuit, ut occurreretur fallaciis vendentium & emptoribus, qui decepti, succurreretur, *l. Labeo. 1. §. causa. 2. d. tit.*

112. Vidimus actionem empti, afferendum nunc aliquid de actione ex vendito (quæ etiam interdum actio pretii appellatur, prout in *l. si non. 8. l. empti. 9. C. de contr. empt. l. si servos. 7. C. de act. empt.*) venditori competente ad ea consequenda, quæ ei ab emptore præstari oportet, *l. Julianus. 13. §. ex vendito. 19 ff. eod. & quidem vel ex pactone, puta, si, cum res veniret, pactum est, ut locuples ab emptore reus daretur, d. l. 13. §. item si. 27. vel ex contractus natura.*

113. Veniunt autem naturaliter in hoc iudicium. I. Inprimis pretium, quanti res venit, *l. Julianus. 13. §. veniunt. 20 ff. de act. empt. l. venditi. 6. l. si servos. 7. C. eod.* quia emptor nummos venditoris facere cogitur, *l. ex empto. 11. §. & inprimis. 2. ff. ibid.*

114. Item. II. usuræ pretii post diem traditionis, *l. Julianus. 13. §. veniunt. 20. ff. de act. empt. l. curabit. 5. C. d. tit.* aut post moram intercedentem factæ, *l. Lucius. 47. ff. ibid.* has enim venditor officio iudicis exigere potest, *l. fructus. 13. C. eod.* nam, cum re emptor fruatur, æquissimum est, eum usuras pretii pendere, *d. l. 13. §. 20.*

115. Præterea III. ex vendito agendo consequitur etiam sumptus, qui facti sunt in re distracta, bonâ tamen fide, *l. post perfectam. 16. C. de act. empt. & quos verisimile erat emptorem quoque velle impendi, l. Julianus. 13. §. præterea. 22. ff. d. tit.* puta, si quid in ædificia distracta erogatum, vel quid in ægri servi curationem ante traditionem, aut in funus mortui servi impensum est, *d. l. 13. §. 22.*

116. Nec non IV. Si quid plus debito emptor percepit, vel eidem præstitum est, id hæc actione repeti potest, quâ in causâ sunt: fructus antè venditionem percepti, *l. venditi. 2. C. de act. empt. si-*

D

mili-

militer servi venditi peculium *l. quoties. 29. junctâ l. sed ad 30. ff. de contr. empt.* Huc pertinet etiam casus, quando binarum ædium Dominus dixit, eas, quas venderet, servas fore; sed in traditione non fecit mentionem servitutis: tunc enim ex vendito quoque agere potest, ut servitus imponatur, *l. si binarum. 35. ff. de serv. præd. urb.*

117. Tandem V. ut emptor res emptas tollat, vel id, quod interest præstet, venditor eadem consequitur; verbi gr. si is, qui lapides ex fundo emit, tollere eos nolit, ex vendito agi cum eo potest, ut eos tollat, *l. si is. 9. ff. de act. empt.* Idem de vino vendito statuitur in *l. si vinum. 1. §. licet. 3. §. si. ff. de peric. & comm.*

118. Silentio haud involvendum est, neminem contrahentium actione vel empti vel venditi posse experiri, nisi contractum ex parte sua impleverit, vel ad id faciendum paratus sit: offerri enim pretium integrum ab emptore debet, cum ex empto agitur; aliàs venditor quasi pignus, retinere potest eam rem, quam vendidit, *l. Julianus, 13. §. offerri. 8. ff. de act. empt.* Econtra, si à venditore rem emptam emptor tollere prohibeatur, uti poterit exceptione, *l. qui pendentem. 25. ff. d. i. i. scil. doli mali, l. ex his. 5. C. de ev. et.*

119. Adjuncta hujus contractûs sunt pacta varia, de quibus extat peculiaris Cod. titulus, qui inscribitur: *De pactis inter emptorem & venditorem compositis.* Tria principaliora, quæ brevitati studentes, saltem attingemus, sunt sequentia: In diem addictio, Lex Commissoria, & Pactum de retrovendendo.

120. In diem addictio est, quando ex. gr. fundus centum alicui est emptus, nisi quis intra Calendas Januarias proximas meliorem conditionem fecerit, quò res à domino abeat, *l. in diem, 1. ff. de in diem add.*

121. Interest autem scire quid actum sit: igitur videndum, an purè, an conditionaliter sit concepta addictio. Si enim hoc actum, ut meliore conditione allatâ discedatur, est pura emptio, quæ sub conditione resolvitur. Si autem hoc, ut perficiatur emptio, nisi melior conditio afferatur, est conditionalis, *l. quoties. 2. pr. ff. de in diem add.* Plura qui desiderat, adeat *d. 101. tit.*

122. Lex commissoria est, quâ cavetur, ut si intra certum tempus pretium solutum non sit, res inempta sit, *l. lege 5. ff. de L. Commiss.*

miss. quod exemplo fundi declaratur in *l. cum venditor. 2. l. si fundus. 4 ff. ibid.*

123. Verum, *L. Commissoriam*, quæ in venditionibus adjicitur, si velit, venditor exercebit, non etiam invitus, *l. nam legem. 3. ff. de L. Comm.* Ideoque vel eadem uti vel pretium petere poterit. Si tamen semel commissoriam elegit, postea variare nequit, *l. si fundus. 4. §. eleganter. 2. ff. eod.* sic nec, si pretium petiit, ad Commissoriam, cui renunciatum videtur, redire potest. *l. post. diem. 7. ff. ibid.*

124. Pactum de Retrovendendo est, cum eâ lege rem aliquis vendit, ut si ipse, siue hæredes ejus emptori pretium quocumque, vel intra certa tempora obtulissent, restituatur. *l. si fundum. 2. C. de pact. inter empt. l. si à te. 7. C. d. tit.*

125. Hoc pactum seu jus redimendæ rei præscriptione 30. annorum non tollitur: quia non solum talem legem apponere concessum, sed quoque, ut contractus fides servetur, actio præscriptis verbis, vel ex vendito datur; *l. si fundum. 2. C. de pact. inter empt. l. rebus. 6. C. de rer. permut.* Facit etiam pro nostra assertione. *l. quod si. 31. §. si quid. 22. ff. de edil. edicto. & l. nec creditores. 10. C. de pign. act.*

126. Affinis & cognata Emptioni- Venditioni præprimis est: I. Locatio-Conductio, quæ illi proxima, iisdemq; juris regulis consistere dicitur in *l. locatio. 2. pr. ff. loc. cond. pr. 1. de loc. & cond.* Adeo autem familiaritatem aliquam habere videtur, ut in quibusdam quæri soleat, utrum emptio & venditio sit, an locatio & conductio. *d. l. 2. §. adeo. 1.* Variis tamen modis differunt, veluti inter alia, (1.) quod in illa dominium transferatur, *l. ex empto. 11. §. & in primis. 2. ff. de act. empt.* locatio autem dominium non mutet, *l. non solet. 39. ff. loc. cond. l. convenit. 65. ff. de contr. empt.* (2.) quod in illa pretium, in hac merces exigatur. (3.) quod illius nomine actio empti & venditi, hujus actio locati & conducti detur.

127. II. Permutatio, à qua origo emendi vendendique capit, *l. origo. 1. pr. ff. de contr. empt.* Differentia autem consistit in eo, quod (1.) illa innominatus, hæc nominatus sit contractus. (2.) quod in illa pretium & merx discerni non possit, in hac utique *l. origo. 1. §. sed an. 1. ff. d. tit.* (3.) quod illa ex re tradita initium obligationi

probeat, hæc verò nudâ consentientium voluntate contrahatur, *l. si ut aliud. 1. §. item emptio. 2. ff. de rer. permut. 4.* quod diversas actiones pariant. Et sic porrò.

128. Contraria hujus contractus sunt: IVis & metus: Sicut enim, si quis per vim coactus aliquid vendidit, ratum non habetur, *l. si pater. 1. C. de resc. vend.* cum venditiones, quæ per potentiam extortæ sunt, infirmari præcipiantur in *l. fin. C. de his que vi metus. vè.* sic etiam metus mortis vel cruciatûs corporis detegi debet, nè rata sit venditio, *l. si voluntate. 8. C. de resc. vend.* Hæc in tantum procedunt, ut quoque sacramentum super illa per vim vel per justum metum extortum etiam à majoribus, nullius esse momenti jubeat, *l. si minor. 1. C. si advers. vend.*

129. II. Dolus contractui causam dans: Nulla enim est venditio, si in hoc ipso, ut venderet, quis circumscriptus est, *l. 5. eleganter. 7. pr. ff. de dolo malo. l. si dolo. 5. C. de resc. vend.* ad exemplum societatis, quæ, si dolo malo aut fraudandi causa coita, ipso jure nullius momenti est, *l. ea verò. 3. §. fin. ff. pro socio.* Contrarius namque dolus bonæ fidei (quæ in hujusmodi maximè contractu exigitur) *d. l. 5.*

130. III. Interitus rei, qui perfectionem contractus antecedit: quia, etsi consensum fuerit in corpus, id tamen in rerum naturâ ante venditionem esse desierit, nulla emptio est, *l. etsi. 15. pr. ff. de contr. empt.* quod ad domum combustam applicatur & fusiùs tractatur, in *l. domum. 57. ff. ibid.*

131. IV. Error. De quo cum sub pertractione consensus actum sit, nihil jam addendum erit.

132. V. Mutuus dissensus; quia enim nihil tam naturale est, quàm eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est: idè & nudi consensus obligatio contrario consensu dissolvitur, *l. nihil tam. 25. ff. de reg. jur. l. prout quidq. 80. ff. de solut. §. liber.* Quapropter, re quidem integrâ & nondum secutâ, id est, neque pretio soluto neque re traditâ, *§. fin. I. quib. mod. toll. oblig.* ab emptione & venditione utriusque partis consensu recedi potest, *l. re quidem. 1. C. quando lic. ab empt. reced. l. emptio. 3. ff. de resc. vend. d. §. fin.* At post traditionem interpositam, nuda voluntas non resolvit emptio-

ptionem, si non actus quoque priori similis retrò agens venditio-
nem intercesserit, *d. l. 1. l. ab emptione. 58. ff. de pact.*

133. VI. Lætio ultra dimidium: quia re majoris pretii, minoris
(nempe, si nec dimidia pars veri pretii solota sit) distractâ, huma-
num est, pretio emptori restituto, rem venditam recipere auctori-
tate judicis intercedente; interim tamen relinquatur emptori ele-
ctio, an malit, quod deest justo pretio, supplere, *l. rem majoris. 2.
l. si voluntate. 8. in fin. C. de resc. vend.*

134. Sufficiat nunc hæc pauca & levia forsân, de amplissima dif-
ficiliq; materia attulisse. Lectorem æquum, eâ, quâ par est, re-
verentiâ, rogo, ut, si quædam incongruè & minùs accuratè posita
sunt, benevolè ignoscere velit: quia, omnium habere memoriam
& penitùs in nullo peccare, divinitatis magis, quàm mortalitatis
est, *S. si quid. 14. De confirm. D. g. ad sen. & omn. popul.*

Congerit ut gnævus magno conamine merces
Mercator, remis æquora vasta secans:
Sic tibi, CUNRADI, multo sudore parasti
Eunomie gazas, Pieridumq; bona.
Est testis Witeberga: est hæc quoq; Lipsia testis;
Insuper & præsens comprobat id specimen.
Applaud. ceptis, nec non majora præopto,
Ut tandem cingat rubra tiara caput.

Gratulabundus Dn. suo Nationali
apposuit
h.

M. DAVID Schwertner / Ethices,
Prof: Publ: Coll: Maj: PP. Coll:
p. t. Pro-Cancell: & Acade-
miæ Rector.

D 3

Quid



Quid sit emens-vendens, CUNRADI, quidq;
necesse

Illis, quam scandis, docta cathedra probat.
Dignius hoc quidnam? in studiis tua sedula cura
Hoc genuit, pia dum Te Themis edocuit.
Sis felix Emtor juris, sis Venditor æquè
clarus in Arctoïs, Hesperisq; plagis!

*Quod optat Dn. Respondenti, Amico &
Commensali suo*

M. JOHAN. PREIBISIUS, Facult.
Phil. Assessor, Collegii B. Mariæ V.
Præpositus & Senior, ut & Reip.
Lips. Senator.

GLoriam laudemq; Jova venditat laboribus;
Rarus at est emtor, tali qui comparet ære.
Interim CUNRADUS illam, GRATIARUM
CORCULUM,
Hoc emere pretio properat, gnavusq; laborat.
Id theses monstrant politæ, publicæ luci datæ,
Auguror hinc: humeros patrium circumda-
bit ostrum.

*Politissimo Dn. Respondenti,
Et olim & olim suo amoris E. f.*

Christian-Fridericus **Francenstein!**
Colleg. Maj. Princ. Collega, LL. & Histor:
Prof. Publ,

AD PRÆSTANTISSIMUM ET POLITISSIMUM
Dn. Respondentem, Disputationis Autorem, Consa-
linum & Amicum per dilectum.

Dum Duce præclaro VOLCKMARO prælia
tentas

CUNRADI, his ausis gratulor inde tuis;
UNUS in ESSE DEUS, PERSONIS TRINUS at idem,
Officio ut possis promptus adesse, dabit.
Adjungo votum: crescat vis indolis altæ,
Et labor & virtus te super astra vehant!

Amica & votiva mens

M. Bernhardi Dresingii Hervordiâ-
Westphali, SS. Theol. Studiosi.

Quam perdocta Tibi sit mens laudandaque virtus,
Jam dūdum multis innotuisse reor:
Et si quos forsan latuit, testaris id ipsum,
Dūm Te de cathedra jura tenere probas.
Scilicet ingenium, præsens demonstrat abundè
Conamen, vigili de studioque docet.
Gaudia sic PATRIÆ, MAGNO das gaudia PATRI,
Et DOCTIS, quæis mox annumerêre, VIRIS.

Integerrimo suo ominabatur

Gottfriedt Jacobi, S. L.

F I N I S.

AD PRÆSTANTISSIMUM ET VENERABILISSIMUM

Magist. D. RICHARDUM, Diffinitionis Cantuar. Capit.

Magist. D. RICHARDUM, Diffinitionis Cantuar. Capit.

Magist. D. RICHARDUM, Diffinitionis Cantuar. Capit.

Magist. D. RICHARDUM, Diffinitionis Cantuar. Capit.

Magist. D. RICHARDUM, Diffinitionis Cantuar. Capit.

Magist. D. RICHARDUM, Diffinitionis Cantuar. Capit.

Magist. D. RICHARDUM, Diffinitionis Cantuar. Capit.

Magist. D. RICHARDUM, Diffinitionis Cantuar. Capit.

Magist. D. RICHARDUM, Diffinitionis Cantuar. Capit.

Magist. D. RICHARDUM, Diffinitionis Cantuar. Capit.

Magist. D. RICHARDUM, Diffinitionis Cantuar. Capit.

Magist. D. RICHARDUM, Diffinitionis Cantuar. Capit.

Magist. D. RICHARDUM, Diffinitionis Cantuar. Capit.

Magist. D. RICHARDUM, Diffinitionis Cantuar. Capit.

Magist. D. RICHARDUM, Diffinitionis Cantuar. Capit.

Magist. D. RICHARDUM, Diffinitionis Cantuar. Capit.

Magist. D. RICHARDUM, Diffinitionis Cantuar. Capit.

Magist. D. RICHARDUM, Diffinitionis Cantuar. Capit.

Magist. D. RICHARDUM, Diffinitionis Cantuar. Capit.

Magist. D. RICHARDUM, Diffinitionis Cantuar. Capit.

Magist. D. RICHARDUM, Diffinitionis Cantuar. Capit.

Magist. D. RICHARDUM, Diffinitionis Cantuar. Capit.

Magist. D. RICHARDUM, Diffinitionis Cantuar. Capit.



X2615901

VD 77





B.I.G.

Farbkarte #13

Inches
Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1656, 7 / 55

ENTE,
GNIFICI DN. ORDINARIJ
ATIS JURIDICÆ
M ACADEMIA
RIDICAM

E-VEN.

NE,
D E
NSULTISSIMO ET
SIMO,

LCKMARO,

ESSORE DIGNISSIMO,
CELEBERRIMO,
SIO QUOVIS HONORIS
ROSEQUENDO,

IONI SUBJICIT
CUNRADUS,

A. & R.
ANNI M DC LVI.
CONSULTORUM.

I Æ
WITTIGAUENS.

J. D. Simoltz

